

30.

21

DISPUTATIO INAVGURALIS MEDICA

DE FINE
HÆMORRHOIDVM
PRINCIPIO
VARIORVM MALORVM.

QVAM

DEO T. O. T. M. AVSPICE,

RECTORE VNIVERSITATIS AC PRO-CANCELLARIO,
VIRO MAGNIFICO, MAXIME REVERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS-
SIMO ATQUE CONSULTISSIMO,

D OMINO

CHRISTOPHORO IGNATIO
DE GVDENVS, J. V. D.

IN SIGNIS ECCLES. COLLEG. S. SEV. CAN. CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AG
CELSISS. PRINC. ELECTORIS MOGVNT. CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEM-

QVB PER THVRING. IN SPIRIT. SIGILLIFERO,

IN ALMA HIERANA

AVTORITATE GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,
SVB PRÆSIDIO

SPECTATISSIMI DOMINI DECANI,

DN. HIERONYMI *Eudolfi*/

PHILOSOPHÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,

CONSILIARII ET ARCHIATRI ELECTORAL. MOGVNT. FAC. MED. ET PHILOS.
ASSESS. ORDIN. N. N. CHTMIAE ET MATHEM. PROF. PVBL.

PATRONI ET PROMOTORIS SVI MAXIME DEVENERANDI,

PRO DOCTORIS GRADV

ET SVMMISS IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE IMPETRANDIS,

PVBLICÆ ERUDITORVM CENSVRÆ EXPONIT

AVTOR ET RESPONDENS,

GODOFREDVS HENRICVS DVCKEWITZIVS,


PTRIZA - POMERANVS.

AD DIEM XVII. DECEMBR. ANNO M DCC XXV.

IN AUDITORIO MAJORI, COLLEGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

ERFORDIAE, Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

BRUNNEN
HISTORIUM
PRINCIPIO
ARIGRUM MATORI
CHRISTIANO IGNATIO
EADENS LIB
DN. HIERONIMI BORGII
PRO DOCTORIS GRAUD
ET SURNIS IN MEDICO HONORIBUS QD KULTICIS
HILDEPHANTIK
LITERIS ET PRACTICIS
AATOR ET PRACTICIS
GODFREDUS HERKIAS DACCEWITHE
IN AVENTORIO MAGISTER COLLEGIU MATORI HONORIS
ET DIES TUA DECIMAVIS ANNO M DCXV
LITERIS HOMERI
ET GROCI TIBURCI VNG TIBURCI



PRÆFATIO.



Aturam nihil facere frustra, vetustissimum Philosophorum assertum est, quod ipsa avtopsia, & quotidiana experientia ubertim confirmare solet. Ita enim Physici & scrutatores rerum naturalium ubique certum quendam subesse finem, scopumque intentum jucundo spectaculo animadvertunt: imo unius destructio alterius observatur generatio, ut ita plane nihil occurrat in hoc universo, quod legibus naturæ non obediatur, & commercio ejusdem perpetuo, sive circulo quasi succumbat: Hinc mihi quidem Veterum Ethnicorum Philosophorum animam illam mundi, seu spiritum universalem enatum esse, non sine omni fortean ratione videtur, cum omnia ordine adeo pulcherrimo instructa esse imo & progreedi visa sint; Ast genuinum horum fontem nescientes, solo naturæ lumine suffulti, non potuerunt non quævis hæc tribuere principio cuidam universalis mundo, quod his ipsis quidem non adeo

A 2

in

in malam partem interpretandum esse arbitror, quam recentioribus quibusdam sic dictis Alchymistis, qui Christianam fidem ore profitentes, nihilominus gentilium eo ipso sectantur, quando hodienum pro succunda sua Chrysopoeia principium tale universi totius commune extra D E V M statuunt, cuius possessores ipsam quarumlibet rerum naturam pro lubitu eo mediante transmutare possent in nobilius & perfectissimum, ut exin quoque, tanquam medicina universali, homines non modo a quovis morbo curari, sed etiam longevos imo immortales quasi reddi posse pollicantur. Verum enim vero, saniores omnino Philosophi longe aliter sentiunt, praeter illud enim, quod falsitas hujus hypotheseos se ipsam manifestet, quando caritas & raritas auri quotidie incrementum capit, quo plures Alchymistae hinc inde exsurgunt, & terminus vitae humanae tanto magis abbreviatur, quo frequentiora divulgantur universalia, quod & ipsorum artificium horum exempla satis abunde docent, praeter illud inquam, veri philosophi certum fundamentum e sacris literis didicerunt, quo innixi, omnia creata tanta perfectione producta considerantur, ut hominem longe inferiorem conspiciant, quam qui spiritum quendam universalem concentrare & perfectioni creatae aliquid perfectius corporibus addere posset. Quicquid sit, merum iam non est, prolixius de his differere, hoc tamen firmo certe stat talo, Deum T. O. tanquam summum rerum naturalium directorem, imo & conservatorem sapientissime ipsam quoque naturam instruxisse, ita, ut omnia, quæ in illa aguntur, accuratissimo ordine

dine ac prudentissime perficiantur: Quid quod ipsi morbi genū humanum infestantes bonum intendant finem, dum natura a materia præternaturali & morbifica sese liberare vult, & aut nimis debilitata, vel ob nimiam materiæ peccantis copiam sæpius varia mala producere solet, atque a vero scopo aberrare cogitur, quod Celeberrimus nostri temporis Medicus D. Stahl, in suis Dissertationibus Medicis passim luculenter testatus est, & Kundmannus in peculiari tractatulo, von dem Verstande des Menschen vor und nach dem Falle, præter alios permultos explicavit. Sic fluxum menfium statui præternaturali annumerare nullus dubito, quamvis ejusdem salubritas, si ordinarie fluant, ipsi prædicatum status naturalis tribuere multis videatur. Neque minorem merentur attentionem hæmorrhoides, quas multis omnino sanitatem cum vita conservasse constat. Quæ vero inde resultat salubritas, hæ si rite constitutæ sint, ea certe non raro mutatur & a statu horum irregulari notatur noxia, imo finis fluxuum istorum plerumque principium variorum malorum deprehendit, hocque mihi de specimine inaugurali sollicito ansam præbuit, ut loco Dissertationis Finem Hæmorrhoidum principium variorum malorum sisterem, quantum pro vi- rium mearum tenui modulo fieri posset, hocque præsentibus hisce pagellis B. L. placidæ censuræ offerre volui. Tu vero, sumnum Numen, & Prudentissime omnium rerum Director, me quoque & hos labores qualescumque gratia tua exoptatissima gubernas, & quasvis actiones meas in Tui majorem gloriam, proximique salutem clementissime dirige.

§. I.

Instituti ratio per breve hæmorrhoidum historiam exigere videtur, quam etiam sequenti modo præmissus sum, ut primo earundem Descriptionem, differentiam, locum, modum, tempus, causas & denique usum explicem, ut ex his eo facilius deduci poslit, quomodo finis hæmorrhoidum variorum malorum principium esse queat atque soleat.

§. II.

Vox Hæmorrhoidis e Græco desumpta est idiomate, atque idem denotat per se, quod alias Hæmorrhagia involvit, scil. fluxum sanguinis, composita enim est ex *aqua* sanguinis & *terre* fluo; Medicis vero in sensu strictiori sanguinis fluxum ex ano proprio significat, & vocantur in plurali hæmorrhoides, quia vasa hæmorrhoidalia dantur multiplicia, siveque Hæmorrhagia nomine potius in genere quamlibet in reliquis corporis partibus sanguinis profluxionem insignire amant. Germanis hæmorrhoides vulgo audiunt: Die goldene Ader, forsitan, quia harum debira constitutio a gravissimis præservare, imo & liberare malis solet, ut hinc sane multis auro cariores astimandæ sint.

§. III.

Hæmorrhoides itaque proprio sunt excretio sanguinis ex inferiori parte intestini recti per vasa sic dicta hæmorrhoidalia periodice ut plurimum atatem consistentem ex plethora aliisque causis non sine insigni levamine afficiens. Siveque excretio genus constituit satis congruum, quamvis enī sanguis per se humor maxime laudabilis & neutiquam excrementarius sit, eo ipso tamen, quatenus omniam quantitatem vel corruptam qualitatem certa cruxis portio a naturæ spontaneo negotio per loca excretoria, vel etiam vias inconsuetas cum notabili commodo eliminatur, illa ipsa portio tanquam superflua & satis noxia jure merito excrementaria dici poterit.

§. IV.

§. IV.

Vulgo hic fluxus (sicut & simili modo ipsa vasa hæmorrhoidalia) dividitur in internum atque externum, nempe dum interius sanguis exsudat & profluit, vel in extremitate intestini recti prorumpit, ut quasi exterius ipsa vena hæmorrhoidalis oscula conspicí queant; sunt porro alia fluentes & apertæ, alia cœcæ & furentes, quæ scilicet cum maximo dolore, nec sanguinem reddunt: alia notantur cum inflammatione notabili, alia sine illa, vid. *Jac. Hollerius de morb. internis Lib. I. Cap. 55. p. 573. in Scholiis.* Loco hæmorrhoidum sanguinearum in aliis quoque observantur albæ, quas *D. Mich. Alberti* in peculiari Dissertatione de *Hæmorrhoidibus albis* explicavit, ubi non cruentam, sed albicanter, partim mucilaginosam, partim vero ichorosam, imo quandoque solummodo serosam prodire materiam asserit; eamque ex efflorescentia serpinoſa circa hæmorrhoides deducit. Datur pariter species hæmorrhoidum cœcarum, quæ cristata appellantur, ab excrescentia seu potius tumore cristam galli adæquante, vid. *Alberti in Diff. de Hæmorrhoidibus cœcis,* quæ tamen distingvendæ sunt a Verrucis, mariscis, rhagadibus, condylomatibus, formicis, similibusque protuberantiis.

§. V.

Sedes hæmorrhoidum est, uti in Definitione innui, inferior intestini recti pars, vaseque ejus sic dicta hæmorrhoidalia: Nimirum hæmorrhoides internæ prodeunt ex vena hæmorrhoidali interna, quæ in intestinum rectum excurrit, ejusque inferiorem partem ad spithamæ præter propter longitudinem, ubi præsertim ejusdem ramuli inferiorem intestini recti partem perreptant & eingunt. Hæmorrhoides externæ fluunt ex vena hæmorrhoidali externa, quæ orificio intestini recti inserta deprehenditur. Utique autem vena tam interna quam externa, rami venæ portæ existunt, quod inter alios *Hollerius l. c.* intendit, item *Vesalius de corp. hum. Fabrica Lib. 3. Cap. 5.* demonstravit his verbis: *Ramum portæ, quem sub recto intestino declivem ac mesenterio*

terio suffultum porrigi scripsimus non nunquam ad faculenti sanguinis per anivenulas, sanguine interdum manantes, expurgationem plurimum conducere arbitror. &c. quo cum & consentit Columbus Anatom. Lib. 6. Describendus est nobis ramus, qui inter vene porta ramos connumeratur, ut ab eo originem ducit, qui lieni dicatur, qui parte levata permesenterium descendens extremum rectum intestinum petit, venasque gignit hemorrhoidales, quibus distractat potest a melanbolico humore vindicari. Conf. Schenckius obs. med. de hemorrhoidibus. Quas Celeberrimus Fischerus, Senior Facultatis M. E. summe Venerandus, in peculiari Dissertatione, *Hæmorrhoides ex palato profuentes*, annotavit, curiosiores omnino sunt, illas tamen hic omitto, tanquam ab instituto meo alienas, quod tantum ordinarium locum recenseri jubet, quale judicium etiam esto de illis, qui alias harum vias inconsuetas proferunt.

§. VI.

Ex his itaque venarum ramulis hæmorrhoidum origo notatur, quando crux ille superfluus, imo excrementarius, merito appellandus per oscula extrema harum venarum exsudare solet, in hoc enim cum menstruis mulierum convenient, praesertim si hæmorrhoides internas species, ubi haud raro adinstar fluxus mensium notabilis in ipso intestino colligitur sanguinis quantitas, qua etiam ibidem sepius coagulatur, & congruente, tandemque uno quasi impetu sphincteris ani relaxationem quantitate sua efficit atque prodit. Externæ tamen magis cum tenesmo quodam conjunctæ sunt, eoque exprimuntur modo, ut non sine sensatione quadam molesta fluant, cum internæ potius spontaneo naturæ negotio accidant, hincque facilis & commodius succedant quam externæ. Cœca vero ex utraque parte satis molestæ sunt, & haud raro gravissima inducunt symptomata non sine periculo vitæ, dum cum intensiori tenesmo venarum observatur tumor, imo quandoque ipsa portio quadam intestini recti exprimitur cum insigni dolore, ex turgentibus autem sanguine vasis Sangviferis oriuntur hæmorrhoides tumentes, cristatae, similes-

milesque excrescentia, quæ ob graviora incommoda mero furentes vulgo appellantur hæmorrhoides, hasque pro qualicunque levamine efficiendo sapius scarificatio-ne, hirudinibus, aliaque Chirurgica operatione aperire, necessitas urget; Non semel tamen hanc omnem eludere operam viæ sunt; Hæ vero iis præcipue accidere solent, quibus contra natura spontaneam intentionem arte flu-xum eundem inducere. Patroni ejus intenderunt, vid. Dis-fert. D. Alberti de Hæmorrhoid. cœcis.

§. VII.

De Tempore Hæmorrhoidum varia occurunt nota-tu dignissima; Quod primo attinet ipsam periodum, quan-hæmorrhoides servare solent, illa non observatur una ea-demque, quia potius vel ratione diversitatis subjectorum vel aliarum circumstantiarum quam maxime deprehendi-tur. In nonnullis itaque ubi rite scil. procedunt, men-struum observare solent tempus, quale mulieribus in fluxu mensium notum est, ita Schenckius Lib. 3. med. Obs. p. m. 391. seq. Hæmorrhoidibus periodicis, ut mulieres menstruis, vexari quosdam, annotavit ex Vesalio, Anton. Zimara, Anat. Lustano aliisque, quid quod Idem l. c. ex Hollerio allegat Hæmorrhoi-des mensium loco etiam in gravidis fluentes. In aliis magis con-tinuus esse solet, quale constat exemplum pariter e Schenckio l. c. quod quidam Hæmorrhoidibus affectus fuerit per dies 45. ad libras duas sanguinis excernens; Ita in multis ne quidem certum tempus quoddam vel periodus locum habet, dum mox tardius, citiusve, mox vero quasi conti-nuo, sicque satis irregulariter hæmorrhoides apparent. Neutquam tamen dicere ausim, ut vulgo creditur, earum periodum dependere a motu Lunæ, vel quasi fidus hoc hu-moribus in corporibus animalibus præcesset, eosque dirige-ret, ut hinc fluxus mensium, imo & hæmorrhoidum origi-nem suam atque periodum traheret, qui enim finem omni-um siderum, in quem creata sunt, e sacris Literis curatius perscrutatur, eundemque ex effectu & physice rite dijudicat,

vix eandem defendet sententiam, uti Celeberrimus Rivinus in programmate & ex professo in MSto suo de Astronomia prater multos alios demonstrare annis est, quid mihi itaque circa hujus causam statuendum esse videatur, in sequentibus, ubi de causis fusiis, explicabo. Neque hic reticendum est, quale anni tempus fluxus hic praeter ceteris amet, ubi, si eodem affectos expiscemur, plurimi omnino vernum atque astivum accusabunt tempus, nec sine ratione; Constat enim humores nostros tunc temporis magis, quamquidem alio, astuare ab aere calidiori, solisque radiis, hincque elevari quasi, ut præternaturalia e corpore eo ipso simul eliminare tentet natura, unde plurimi quoque tunc observantur morbi & exanthematum proventus, cum frigus hyemale magis humores concentret, porosque constringat atque occidat, ut exin etiam in regionibus Septentrionalibus parcius observentur haemorrhoides, quam in calidioribus, uti jam *Hippocrates Lib. de Aere, aquis & locis cap. 4. §. 7.* annotavit, quod inter alia in juriis climatis tribuere nullus certe dubito. Eo autem posito reliqua anni partes neutiquam excluduntur, cum ipsa quotidiana experientia testetur, quosdam nullo tempore ab iisdem immunes esse, quin potius periodico hoc fluxu suo absque notabili illo discriminne gaudere continuo.

§. VIII.

Non vero indiscretim omnes hominum aetates ita vexantur: hic enim de statu ordinario mihi sermo est, ubi proprie a trigesimo usque ad quinquagesimum annum perdurare dicuntur secundum Hippocrat. Sect. III. Aphor. 30. & Heurnium in Cennent. ad h. l. aliosque, quamvis non negem, interdum aetatem juvenilem, imo pueritiam, vel etiam ipsam senectutem easdem experiri, quod vel dispositioni hereditariae, vel fluidiori sanguini atque plethorae, aut energia cuidam naturae, omnino tribuendum esse censeo. Quod porrò differentiam sexus attinet, virili ut plurimum dicantur, ibique vices mensium sexui sequiori proprias

prias quasi excipere solet; Fœminæ tamen pariter vel loco mensium vel cum iisdem simul hunc fluxum sentiunt, uti in antecedentibus ex Schenio allegavi, quatenus scilicet subiecta fatis plethorica, vel etiam Scorbatica, lege *Dissert. D. Alberti de Hemorrhoidibus Fœminarum.*

§. IX.

Causam hemorrhoidum proximam si spectemus, naturæ omnino energia & operatio in sensum venit, qua plenioram sublevare vel heterogeneam sanguinis partem excernere vult, hocque in ætate puerili potius per nares, in juvenili per pectus, atque in virili per inferiores partes præstare solet; Huic vero negotio in multis accingitur ex dispositione quadam hereditaria, quam etiam ob causam pueris atque juvenibus jamjam hic fluxus accidit quandoque, quia tamen idem in ætate consistente magis observatur, mihi quidem videtur ratio non infima, naturam eo ipso intendere, quo nutrimentum partium superfluum, quod in sanguine consistit, ejiciat, quia tunc illo non opus est, uti in antecedentibus annis, cum corpus incremento indigeret. Causæ procatarrheticæ & occasioneles hic desumuntur a medicorum sex rebus nonnaturalibus, ita enim aër calidior, vernus & astivus magis, omnino humores corporis nostri exagit, quam nebulosus & frigidus, hincque hemorrhoidibus fluentibus favet, frigidus vero potius cœcas efficit atque furentes. Quantum Cibus & Potus conferat, satis constare arbitrör, cum crassiora quævis & crudiora easdem suppressimunt, alia e contrario laudabilia, sanguinemque augentia, illas aperiunt. De Excretis & Retentis experientia dudum docuit, suppressionem mensium vel aliarum excretionum naturalium, efficacissimam esse in iisdem producendis. Motus quoque nimius vel fortior humores nimium exagit, unde novimus de Equitatione, quod hunc fluxum in dispositis facile inducat. Somnus quoque & Vigilia certò respectu symbolum suum adjiciunt, quatenus humores vel incrassari vel subtilisari faciunt. Huc quoque Animi Pathemata referri merentur:

tur: Sic ira integrum naturam atque massam sanguineam commovet, mœror vero hanc incrassat, hincque illa hæmorrhoidibus fluentibus, hic autem cœcis ansam dat apertissimam, & quæ sunt reliqua. Hic enim prolixior esse prohibeatur, cum hæc omnia jam fusius in *Dissertationibus medicis Stablianis* atque *D. Alberti* explicata sint, quorsum etiam B. L. remitto.

§. X.

Usus hujus fluxus ex ipso naturæ fine intento satis apparet, ille itaque in ventilatione sanguinis præsertim consitit; Sicut enim nimia quantitas corruptit qualitatem, ita natura negotio hæmorrhoidal prospicit huic malo, seque a nimia mole liberat, uti *D. Alberti in Dissert. de Hemorrhoidibus, Longevitatis causa*, ubertim evincere nifus est, dum hac ratione humorum circulus redditur liberior, ut quilibet alii motus vitales, secretiones atque excretiones debite succedant, hincque conservetur sanitas integra; Verum enim vero omne illud de ordinariis hæmorrhoidibus, harumque debito fluxu intelligentum esse profiteor; Cœcis enim furentibus atque irregularibus minime laus illa competit, quin potius præter intensiores dolores & gravissima symptomata sibi in præsentissimum mortis periculum permultos conjiciant.

§. XI.

Quæ sit indoles atque natura hæmorrhoidum, pro instituti ratione ex antecedentibus suffcienter innotescere arbitror, hæc enim præmittenda erant, quo scopum præfixum eo securius assequi possem: Jam itaque ulterius progredior, ubi finem hæmorrhoidum variorum malorum principium ostendam. Dixi vero in §. 8. terminum ordinarium hujus fluxus includi a trigesimo usque ad quinquagesimum annum, attamen hæc regula suas quoque patitur exceptiones, cum in aliis citius, in aliis diutius occurrat, ut ita faltim a potiori tempus certum determinare more philosophorum voluerim: Nimurum quicquid sit, mihi jam incumbit deducere mala, quæ fluxum Hæmorrhoi-

morrhoidalem desinentem insequuntur, unde, quæ a cœcis, atque suppressis proficiuntur, siccо hic prætereunda sunt pede. Finis itaque hujus excretionis sit annus 50. præter propter, vel senium iniens, ubi in pluribus vires naturæ successively decrescent & debilitantur, humores magis hinc corrumpuntur & parciores elaborantur, integrum corpus marcescit, cutisque rugis defœdatur, remittit tonus partium, item actiones naturales & vitales seu secretiones & excretiones, verbo: Tota œconomia animalis quam maxime turbatur, omniaqne potius decrementum quam incrementum capiunt, dum anima celo, & corpus terra sese pededentim quasi appropinquare sollet. Ita non mirum, inter alia quoque salutare alias hocce malum ordine suo interrumpi, atque successively deficerre, usque dum plane supprimitur. Sicuti autem ipsa senectus alias per se dicitur morbus, ita incommoda, quæ simul ex ipso hoc impedito fluxu oriuntur, sane haud leviora sunt, uti mox videbimus.

§. XII.

Finem Mensium initium morborum variorum opportunitum existere, profecto experientia quotidiana luculenter edocet, & Clariss. D. Stabl. demonstravit in peculiari *Dissert.* Hæmorrhoides vero analogum quasi mensium muliebrium vulgo prædicantur: Quid mirum itaque, analogiam hanc etiam in fine observari, quando varia ex in proveniunt incommoda. Apoplexia primo loco nominanda occurrit, quæ sane morbus Herculeus & ætatis senectantis proprius est, quando scil. a materia seroso-pituitosa vel plethora cerebrum, genusque nervosum obsidentur, ut spiritus vitales supprimantur & in functionibus suis impediuntur, unde sensus cum motu & loquela subito deficit, remanente tamen pulsu & respiratione; Hujus species sunt, si v. g. partes cunctæ, capite tamen excepto, corripiantur, dicitur Paraplegia: Hemiplegia nominatur, si unicum saltum latus affectum fuerit. Paralyfisque demum in particulari modo brachii vel pedis, linguæ vel

oculi impotentia est. Omnes hi affectus ex uno certe proficiscuntur principio, saltimque gradu differunt. Finem vero hæmorrhoidum iisdem causandis esse apertissimum, nemo profecto inficiabitur. Cum enim ordinaria illa excretio per anum desierit a remittente vigore naturali, circulus humorum interrupitur, qui exinde colliguntur in corpore & incrassantur, imo caput versus ascendunt, ibique subsident, præsertim serum secernit viscum, cum ubique tonus remittat, imo & primæ viæ officio suo satis negligenter fungantur, unde ut plurimum conqueruntur de Catarrhis continuis, quæ mox hic vel inde subsident, & levissima demum data occasione, accedente scil. frigore externo, vel aëris injuriis, alteratione, aliisque causis in actum ducuntur, in cerebro, nervisque subsident & modo memorata mala inducunt, scil universale, seu apoplexiā, vel particularia reliqua dicta.

§. XIII.

Melancholia delirium triste vulgo nuncupatur, cum ejusmodi subjecta omnia timent, continuoque tristes multum ejulant, latebras querunt & hominum conversationem fugiunt, sibiique vim inferre student, & quandoque desperabundi Divinum Numen insectantur blasphemias, quod, si vitium hæreditarium eximas, a veteribus atra bili, vel infarctioni Lienis tribuitur, imo sanguinem crassum, nigrum, fæculentumque & ejusmodi oppilations subesse hodienum reprehenditur. Senibus vero non alio certe ex principio adeo familiaris esse solet, quam quia energia natura desvescit, iisque cruditatibus ansam dat; Ita quoque Hæmorrhoides desistentes eo ipso in causa sunt, quando sanguinis illa portio retrocedit, liuenem & reliqua visceria occupat, atque crassitie sua obstruit.

§. XIV.

Oblivio atque Defectus memoriae, Vigiliae nimiae, vel etiam somnolentia sunt affectus senectutem comitantes, & quidem ob frigidum siccumque in illis temperamentum, dum humidum radicale imminuitur, hujus quoque non ultima

ultima esse solet causa humorum excrementitorum afflussus largior ad caput, ejusque partes, unde debilitas generis nervosi, sensuumque exoritur, qualis in Oblivione, vigiliis & somnolentia notatur. Quid quod eadem ratione fenes reddantur Vertiginosi, ex humorum flatulentorum & pituitosorum intra corpus abundantia; Hacque ex fine Hæmorrhoidum induci, nullus certe negabit qui noverit, quantam suppressio evacuationum consuetarum naturæ noxam inferat.

§. XV.

Hinc quoque Oculorum vitia, qualis est Epiphora, siue Illachrymatio, item Lenia, seu fôrdes palpebris adhærentes inter dormiendum; Macula volatice, hebetudo & visus debilitas, nec non Ophthalmia, quaë est oculorum inflammatio, dolor, rubor, & illachrymatio, glaucorma, quando humor crystallinus lacteum colorem induit; Sufsusio seu Cataracta, vulgo der Stahr, ubi mucus quidam viscidus plus minusve quasi in membranulam concrecit, atque cornea interior adhærebit; Unguis & Pannus, si scil. exterior membranula quedam Oculo accrescit, & quaë sunt similia, senium sapissime infestant. Causa vero illorum præcipua in corruptis maxime humoribus & natura debilitata consistit; Quale quid ex Hæmorrhoidibus deficiens suboriri ratio atque experientia luculenter testantur. Quorsum & affectiones Auditus referri merentur, uti sunt Tinnitus aurium, Otalgia, abscessus aurium &c. quatenus eadem haec ex similibus producuntur causis humoralibus, quibus hæmorrhoidalis excretio suppressa oportune succurrere solet.

§. XVI.

Sequuntur Catarrhi seu affluxus Lymphæ vitiatae in partem quantam corporis humani, dolorem, sèpiusque tumorem efficiens, ubi variae demum occurruunt species, in capite scil. Coryza humida & sicca, sive gravedo, intumescentia amygdalarum seu tonsillarum, quam raucedo comitantur, tussis, infarctus bronchiorum, angina, alia-

aliaque, quæ secundum differentiam partium diversimode appellantur; Defluxiones autem ejusmodi seroſæ vel pītuitoſæ præter externa accidentia, uti sunt aër frigidior & turbulentus, aliaque injuriæ, vitioſis omnino tribuuntur humoribus, vīscidis nempe, vel nimium ſalfiſ atque ſimilibus, quæ facillimo negotio accidunt ex functionibus naturalibus prohibitis, turbatisque excretionibus debitis, quis itaque dubitaret? eadem in ſenibus frequentius obſervari, vel eam ob cauſam, quia hæmorrhoidale negotium ceſſavit, ſi nimirum ſubiecta illa prius hæmorrhoidalia experta fnerint, de iis enim hic mihi ferro eſt, ut quilibet facile perſpicit, quamvis non negem, omnes hos affectus alios quoque infestare ex aliis cauſis, imo nec omnibus accidere neceſſario, licet prius hunc fluxum ſenſerint largius.

§. XVII.

Modo dictis quoque annumeranda ſunt mala mediī ventris, ſeu Thoracis, ut Asthma & Dyspnœa, ſive diſſicilis respiratio ex morboſa pulmonum diſpoſitione orta; Em-pyema & Apostema pulmonum, quæque alia ex vitiis pulmonum obſervantur effectioñes, v. g. Phthisis, Tuſlis, Hectica atque plures ex ſubſidentibus humoribus pravis, ſcil. vīscidis & acido-ſalfiſ circa hæc loca, hæcque ſeneclutem præ ceteris inſectuantur, in permultis non ſine fundamento diſdicari arbitror, ceſſationem hæmorrhoidum præ primis anſam dediffe, quod ex antecedentibus quoque eo fuſius colligi poterit, cum hinc abundantia cruoſis, vel prava ejusdem qualitas ob interceptam ejectionem ordinariam corpus ulterius permeet, moxque ſuperius vel inſerius noxam ſuam inſerat, uti hæc mala docent.

§. XVIII.

Debilitates Ventriculi & Intestinorum, quæque ex in ſuboriuntur incomoda, ut Apepsia, vel Dyspepsia, Ruſcus, ventriculi Dolor gravativus, Cardialgia, item Chole-ra, Tenesmus, Tormina Ventris, ſimiliaque in ſenibus ex eodem principio haud raro notantur, imo & Scirrhī, dolo-

doloresque Hepatis atque Lienis, uti jamjam superius, de Melancholia innui, aliæque infarctiones Viscerum decrepitis communes sunt, quia vigor naturalis in ipsis deficit & omnis oœconomia animalis perverfa & labefactata est, ita vero hamorrhoidum finis eo magis in causa esse solet, quo arctior cum iisdem datur connexio atque consensus inter partes viciniores.

S. XIX.

Hæmorrhoides rite fluentes a calculo Renum atque Vesicæ præservare, imo & subducendo materiam augmento aptam liberare, inter celeberrimos quosvis medicos constat, quid itaque mirum? easdem ex naturæ decremento suppressas calculofas concrecentias causari, quod certe in iis tanto magis locum habebit, ubi jam prædispositio quædam, vel hæreditaria, vel etiam acquisita ad ejusmodi mala occurrit; cum præsertim hoc fluxu cruditates freæ & quævis impuritates massæ sanguineæ ad analogiam fluxus mensium ejiciantur, quæ dein in corpore remanent, & secundum dispositionem subjecti vel aliam occasionem datam in hac vel illa corporis parte subsident, unde ortus, augmentumque calculi manifeste propullat. Constat vero per experientiam, nephritidem cum arthritide fororio quasi vinculo cohærere, ut hinc quoque facillimo negotio altera in alteram degeneret, imo desinat, atque reciprocet; harum autem causa proxima profectio non est alia, quam impuritates humorum Oino freæ, quæ cum humoribus adhuc unitæ mox hic vel illic in corpore molestias excitant, doloresque atroces, uti in arthritide vaga sive scorbutica, vel fixitus adhærescant partibus tendinosis nervosisque, qualis est arthritis fixa, vel in cassis quibusdam partibus ligamenta articulorum, atque tendines obsident v. gr. in chiragra, Ischiade, Gonagra, Podagra & reliquis, vel interius concrecent in corpus quoddam solidum, seu calculum Renum & Ves-

C

cx:

çæ: Omnia hæc sénibus familiaria sunt mala, neque incongrue desinentibus hæmorrhoidibus in permultis præter alia tribuuntur. Evolv. Schenkitus med. obs. de Isebiade p. m. 770. Quorsum & spectat, si tota massa sanguinea fuerit scorbutica & depravata, quale quid septentrionalibus gentibus præ ceteris accidit, imo & tenibus sapius evenit post finem hujus fluxus, de quo legi meretur D. Alberti Dissert. de Hæmorrhoidum consensu cum scorbuto.

§. XX.

Hydrops ejusque species originem ducunt a vitio lymphæ, quatentis illa vel nimium serosa, viscida vel acris fuerit, atque vascula secretoria & excretoria obstruit, vel corruptit, hincque in partes extravafatur, quorsum & tumores cedematosi pedum referuntur; sic quoque ex pituita cum biliotis acidisve humoribus commista Cachexia totius corporis generatur, qua præsertim feminas ob fluxum menstruum suppressum afficit, qua in sexagenariis ex hæmorrhoidibus desinentibus eo certins efficiuntur, cum hæc descriptas causas ordinarie inducere soleant. Sebies aliaque exanthemata & defœdationes cutis, in xata senili deprehenduntur, derivanturque ab humiorum excrementiorum scorbuticorumque copia, qua a natura ad extremitates propelluntur; Tremores artuum atque Contracturæ a vitiosis humoribus deducuntur jure meritoque; Quæ omnia ex hæmorrhoidibus absolutis proficiunt ex sapientis dictis luculentius omnino constat; nullum itaque est dubium mala illa memorata satis magna, præter incommodum atque dolorem, ut plurimum quoque mortem hominum ciere atque vitam abbreviare; Sunt autem morbi hi longe plures, qui Senectutem comitantur ex fine hæmorrhoidum, quamvis chartæ iujus angustia illos omnes atque singulos capere queat, quod etiam scopum nostrum excedere videtur: sufficiet itaque vel potiora ejusmodi mala indigitasse atque indicasse vel primis

primis quoque labris, qua ratione ab illa causa deducenda sint. nostrum vero jam erit, quomodo eadem vel præservari, vel curari, vel ad minimum sublevari quodammodo possint, breviter superaddere certam methodum.

§. XXI.

Quam quilibet modo recensitorum affectum curam specialem opemque requirat, in præsens explicare, supervacaneum puto, cum ea omnia potius e Practicorum scriptis medicis sufficienter peri queant; neque id certius affirmare audeo, curationem perfectam atque restitucionem in omnibus locum habere, cum ut aptea dixi, senectus per se putetur morbus, & senex perfecte sanus nostro tempore instar miraculi habendus sit, integra enim illorum natura tunc quidem apparet debilior, unde tota œconomia animalis turbatur manifeste, ut hinc artas illa necessario evadat valetudinaria sive morbosa. Si tamen quid est, quod hoc loco pro cura adjicere possem, hoc certe in eo consistet, ut tam præservative quam curative modum quendam ostendam, quo mala illa vel evitare, vel tollere, vel mitigare quis possit. Primo itaque loco e fonte chirurgico Venæfictio sese ostiit, quæ omnino secundum celeberrimorum practicorum sententiam plethoriciſ commendari meretur, nostris vero senibus, de quibus hic mihi sermo est, eadem optime convenit, præsertim si ante evacuationi huic sanguinis quam maxime assueti fuerint, locum hujus ordinarie quidem pedibus assignari inalleum, quo secundum consuetum hæmorrhoidum fluxum etiam humores inferiora versus subleventur, nihil tamen obstat, quo minus etiam alia eligamus loca, præsertim si symptoma jamjam præsentia, vel etiam reliqua indicantia aliud suadeant; hujus quoque in locum scarificatio, vel alia sanguinis diminutio substitui potest, pro differentia circumstantiarum, vel consuetudine subjecti. Hæc tamen de iis senibus intelligi volo, quæ adhuc sanguinis

gvinis humorumque copiam largam fovent, & v. g. Apoplexiam vel alia mala ob ejusdem noxam sentiunt.

§. XXII.

E fonte pharmaceutico Evacuantia occurrunt, quæ quidem hic usum præbent insignem, verum tamen mitiora sint, & moderate Laxantia, necesse est, quo naturæ debilioris in senio habeatur respectus, itaque in alvi segnitie arque ficitate commendantur clysteres humectantes, emollientes abstergentesque, vel alia substituantur leniter Laxantia; Aloëtica vero, flatulentia & fortius stimulantia evitentur studiose, uti *Stablius in Dissert. de fine mensum* §. 48. optime docuit, quæ propter analogiam merito huc referenda est. E qua simul mihi hic allegare licebit, narcotica quævis & opiate in nostris ægris seponi debere, nisi peculiaris indicatio eadem requirat, ubi tamen in Dosi refracta admodum exhibenda sunt. Conveniunt autem egregie Carminativa calidiora & alexipharmacæ, ut pituita, quæ omnium frequentissime in senibus observatur, resolvatur & attenuetur atque atonia Viscerum tollatur. Ubi vero acida, vel plus minusve acria, & Salia, observantur in primis viis atque humoribus, ibi temperantia, absorben-
tia, similiaque præprimis profundunt, uti sunt Lap. 69. Corall. rubr. C.C.ust. & S. Δ. Ebur. ♀. diaph. vel antihect. Pot. Bolus arm. ▽. Lemn. &c. vel etiam Θia sic dicta digestiva & refrigerantia in phlogosi & dyscrasia humorum dantur v. gr. arcan. dupl. ♀. Θlat. Φ depur. & ♀iat. Crem. & Cryst. ♀. Cinnab. nat. vel ♀ii, & quæ sunt similia. Resolvendis humoribus impurioribus quoque inserviunt sudorifera leniora, ut ♀. diaph. & alia modo dicta temperantia, imo & alia, ut Liqu. C.C. succin. Eff. succin. sassafrassat. Liqv. ▽ fol. ♀. TR. Bezoard. TR. ♀ii ▽ Θ★succin. vel anis. ▽. Bezoard. Buff. ▽. CC. & reliqua; nec diuretica suo loco contemnenda, imo & quandoque bœchica usum egregium præstant. Quæ omnia jam curæ
Medici

Medici prudentioris relinquo eligenda, vel separanda pro lubitu & differentia circumstantiarum cui quoque eandem ob causam regimen diateticum ordinare committo, cum hic ea speciatim ad qualibet applicare subjecta tempus atque ratio prohibeat.

§. XXIII.

Mihi itaque hoc loco sufficit breviter demonstrasse naturam hæmorrhoidum, harumque finem variorum maiorum principium existere, quæque sit ratio curæ paucissimis annexasse; plura enim specimen inaugurale mihi non exigere videbatur. Tu B.L. ea æquibonique consulas, & humanitate Tua supple, quæ pro virium mearum tenui modulo, vel minus perfecta, vel palato tuo integrata deprehendes. Vale.

T A N T V M.

D. S. H. L. E. G.





UNoculi Coecos tentas referare
recessus,
Ut fluat e solitis sanguinis unda
viis.
Rem facis egregiam! mi DUCKEWITZI,
supremus
Annuat! ut *Celebris Doctor* in arte
cluas.

Gratulabundus apponebat

FERDINANDVS LÜDENIVS,
Med. D. & Pract. Halens.

Omnia

OMnia jam nummis veniunt, au-
rumque sequuntur,
Quæ dantur mundi gloria, fama &
honos.

Attamen & dignus meritò sibi cun-
cta recondit,
Laudibus ac summis pulchra Pra-
bæa capit;
Utique sic *Tibimet* jam fertur Purpu-
ra, Amice,
Cœptis & votum det DEVS omni-
potens.

*Sic animitus congratulatur
quondam contubernalis*

G. M. Philiater.

DVCKEWITZI, *Tibi* positam contin-
gere metam
Dum cupis & specimen promptus
in arte paras:

Hæc

(o)

Hæc mea pauca licet! Sed amici su-
scipe vota,

Vota quidem fido pectori fusa *Tibi*
Applaudunt omnes & ego *Tibi* gra-
tor honores

Ex animo læto prospera quæque
vovens:

I felix ægram fannans cum corpore
mentem,

Sic studiis fructus commoda mille
feres.

*Hic suo olim Lipsiae Amico, Fautorique longe
Honoratissimo capessendos Honores in Me-
dicina gratulari voluit, debuit*

ARNOLDVS MILICHIUS,
Med. Cult.



80 A 6421
f



Mr. Minus
verknüpft TA-20L

R

WZB
VD 17



Farbkarte #13

VRALIS MEDICA
**INE
HOIDVM
CIPIO
MALORVM.**

*AVSPICE,
AC PRO-CANCELLARIO,
ERENDO, ILLVSTRI, AMPLIS-
NSVLTISSIMO,*

**NO
O IGNATIO
VS, J.V.D.**

CAP. ET SCHOLAST. EMINENT. AC
CONSIL. ECCLESIAST. EJVSDEM-
PIRIT. SIGILLIFERO,
LIER. A. M.

HERANA
FACULTATIS MEDICÆ,
SIDIO

OMINI DECANI,
YMI S^Eudolfi/
DICINÆ DOCTORIS,
AL. MOGVNT. FAC. MED. ET PHILOS.
ET MATHEM. PROF. BVD.

ET MATHEM. PROF. PVBL.
I MAXIME DEVENERANDI,
RIS GRADV
DONORIBVS AC PRIVILEGIIS
FRANDIS

CENSVRÆ EXPONIT

THE LITERARY ESPONDENS,

EVS DVCKEWITZIVS.

MERANVS

BR. ANNO M DCC XXV.

BR. ANNO M DCC XXV.
EGII MAJORIS, HOR. CONSVET.

CHIANIS Acid Tuber.

CHIANIS, Acad. Typogr.